



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus XX. De emptione, & venditione rei à debitiore ære alieno gravato  
alienatæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

adæquent valorem centum, nisi mutuator propter lucrum cessans sibi caverat, ut notat Tolet. l. 5. 11. 34. cum Laym. & aliis; quia in pecunia pretium non distinguitur ab ipsa; sicut pretium distinguitur ab aliis rebus, & hinc aucto pretio mutatur pecunia, non autem res v. g. modius frumenti, & idcirco si modius non augeatur, seu mutetur, sed solùm ejus pretium, quod

à modio distinguitur, reddi debet idem modius, licet plus valeat, nisi aliter sit conventum, ut notat idem Tolet. l. c. Si verò augeatur ipse modius frumenti, qui accipit 4. modios mutuo, cum minor erat mensura, non tenetur reddere modios majores quatuor, sed quantum æquet minores, ut de pecunia dictum est.

## C A S U S XX.

*De emptione, & venditione rei à debitore ære alieno gravato alienate.*

Cùm Crispus ære alieno ita gravetur, ut non sit par solvendo, domum, quam habet adhuc unicam, vendit Crispino affini suo, cujus pretii partem filia suæ nubili in dotem tradit, partem alteram ipse Crispus absumit.

*QUÆR. I. An Crispinus inscius impotentia Crispi emptam domum tam in foro interno, quam externo retinere possit, sive eam titulo oneroso, sive lucrativo habeat?*

*QUÆR. II. An si Crispinus conscius impotentia Crispi eum non induxit ad alienandum, teneatur acceptum restituere in foro interno, sive à Creditoribus petatur, sive non petatur intra annum?*

*QUÆR. III. An Crispus ex pecuniis ex vendita domo acceptis filiam suam dotare & filia dotem acceptare, ac retinere potuerit?*

122

**A**Nte casus resolutionem, cum alienatio domus in fraudem Creditorum facta esse videatur, scire expedit, quid sit rei alienatio in fraudem Credito-

rum facta; in fraudem itaque Creditorum alienatum dicitur, quoties ex alienatione cognoscitur, vel cognosci debebat, alienantem impotentem reddi ad hoc, ut Credi-

R 3 tori-

toribus suis satisfaciat, vel quia non suppetunt alia bona, vel non est spes proxima comparandi alia bona ad satisfaciendum, uti constat ex §. *si quis in fraudem instit. de action.* & §. *in fraudem instit. quibus manumitt. non licet &c.* Idcirco si labore & industria non dedecente tuum statum posses Creditoribus satisfacere, non censeris fieri impotens ex alienatione, sed ex tua malicia, ut notat Less. l. 2. cap. 20. dub. 19. Nec ad hoc, ut alienatio facta censeatur in fraudem Creditorum regulariter necessaria est intentio, & animus defraudandi tali modo Creditores, ut advertit Molina D. 328. Sed sufficit sola scientia, seu si scias debitorem ex alienatione impotentem reddi, ut colligitur ex §. *citt. in fraudem.* His præmissis.

123 Ad 1. Q. R. affirmativè; nam si is, qui rem accipit, non scivit, alienationem esse in fraudem Creditorum, nec alienantem reddi impotentem, vel impotentiore ad solvendum, quocunque titulo, sive oneroso, sive lucrativo rem acceperit, non solum comparavit dominium rei acceptæ, sed etiam nullam inde obligationem contrahit in foro conscientie illam Creditoribus restituendi. Ita Molina l. 3. *Conclus. 2.* Covarr. 3. *variav. resolut. c. 3. n. 6.* Less. l. c. n. 167. Palao D. 1. p. 4. n. 3. Rebell. l. 1. q. 7. §. 2. Joan. Salas. *tr. de usur. dub. 41. n. 4.* Joan. Me-

dina *de rest. q. 4. col. 18.* Adrian. Palud, alique.

Ratio, quòd is, qui rem accipit, acquirat ejus dominium, patet, quia accipit, quod alter validè donare, vel vendere potest, si quidem res illa, non erat obligatione aliqua reali, vel hypothecariâ alteri obstricta, uti supponitur, sed erat alienantis, cujus proin dominium in eminentem, seu accipientem transferre potuit, & voluit. Quòd autem nec in conscientie foro teneatur rem restituere Creditoribus, patet rursus ex eo, quòd obligatio restituendi solum oriatur ex re accepta, & ex injusta acceptione: talis autem non tenetur ex injusta acceptione, cum acceperit bona fide, ignorans alienantem fieri impotentem ad debita solvenda; neque qui aliquid ab aliis accipit, tenetur inquirere, an vendentes, & alienantes habeant debita, vel media sufficientia ad ea solvenda, &c. id enim esset gravissimum onus imponere contractus celebrantibus sine fundamento. Neque tenetur ex re accepta; quia res accepta non Creditoribus competeat; uti supponitur, sed alienanti, qui rei suæ dominium, sive titulo lucrativo, sive oneroso, transtulit in accipientem. Neque talis ignorans alienationem fieri in fraudem Creditorum in foro externo tenetur ad restitutionem Creditoribus faciendam, si rem acceperit ex contractu oneroso, ut statuitur

tuitur leg. quod autem 6. ff. quæ in fraudem Creditor. his verbis : si quid in fraudem Creditorum factum sit, si tamen is, qui cepit, ignoravit, cessare videntur verba edicti. Si verò rem accepit titulo lucrativo v. g. donatione, tenetur rem reddere, si extet, si verò in se non extet, tenetur duntaxat, in quantum factus est locupletior, dummodo Creditores intra annum, quo sciverint rem tibi traditam esse, eam in iudicio postulaverint, uti habetur l. qui autem §. simili modo, ff. quæ in fraudem Credit. & l. penul. C. eod. tit. l. ignoti C. de revocand. iis, quæ in fraudem Credit.

124 Ad 2. Q. responsio colligi potest ex calu 9. ubi tanquam probabilius tenuimus, eum, qui sciens rem alienari in fraudem creditorum, eam emit, in foro conscientie teneri ad restitutionem Creditoribus faciendam non solum intra annum, sed etiam anno jam elapso, quantum ex eo contractu læsi sunt Creditores, sive ad id inducat, sive non inducat alienantem ad alienandum.

125 Ad 3. Q. non posse patrem dotare, nec filiam à patre dotem acceptare, cum ex ejus acceptatione parens impotens redditur ad satisfaciendum suis Creditoribus, censent Sylvest. V. usura q. 4. Lud. Lopez. cap. 81. Molina D. 230. Angel. Rodriq. Vega, & alii. Ratio est, quia non potest dos constitui,

vel donatio propter nuptias, nisi prius de bonis paternis deducatur totum æs alienum, quo deducto de bonis, quæ supersunt parenti, deducenda primum est dos, aut donatio propter nuptias : ergo si non deducto prius ære alieno filia dotem accepit, restituenda erit Creditoribus.

Nihilominus alii cum Palao l. c. p. 15. & Jo. Salas. tr. de usur. c. 42. n. 14. rectè contrariam sententiam amplectuntur, sentientes, posse patrem dotare, & filiam dotem moderatam & suo statui competentem accipere à suo patre sine obligatione restituendi, etsi ex ejus acceptatione pater impotens reddatur ad satisfaciendum suis Creditoribus, præsertim si filia ex proprio labore, & industria non habeat, quo se commodè sustentet, aut nubat. Ratio est, quia constitutio dotis pertinet ad conservationem status, eo quòd pater teneatur, filiam volentem nubere dotare, eique media ad nuptias necessaria suppeditare : atqui ad conservandum statum, & ad satisfaciendum naturali, debitæque obligationi potest debiti solutio differri, ac suspendi : ergo non obstante ære alieno poterit pater dotem constituere, & debitorum solutionem suspendere, & filia dotem acceptare, ac retinere. Accedit, quòd, cum pater filie nubili, & aliunde non habenti, quo se commodè sustentet, teneatur alimta subministrare, & dotem constituere.

stitueret, ipsa quoque filia tunc simul cum aliis Creditoribus etiam concurrat, & potiore locum obtineat ob sanguinis conjunctionem, ut notant Salas *tr. de usur. c. 42. n. 13. Navar. c. 17. n. 269. Sà V. usur. n. 6.* & alii: ergò poterit dotem acceptare, & in conscientia retinere: imò si dos jam tradita sit

marito, cum ad generum transeat titulo oneroso, si gener conscius non fuit, alienationem in fraudem fuisse Creditorum, non datur actio adversus eum, esto socer in fraudem Creditorum dotem constituerit, ut habetur *l. ult. §. si à socio ff. quæ in fraudem Creditor.*

## CASUS XXI.

*De Judice innocentem condemnante ex testimonio falsorum testium.*

FABRICIUS cum æmulum, & hostem suum Therentium è medio jam diu sublatum vellet, arrepta occasione patrati nuper ab ignota manu homicidii, eum ad Judicem defert tanquam commissi homicidii reum, productis 4. testibus à se subornatis, & ad testandum pecuniâ corruptis, qui proin juratò testantur, homicidium à Therentio commissum fuisse. Judex ergò, cum allegata, & probata Therentium homicidii reum ostenderent, eum morti adjudicat, licet privatâ scientiâ certò sciret, fore innocentem.

QUÆR. I. An Judex possit eum ad mortem condemnare, qui per testes, & allegata probatur quidem reus, sed ipse privatim certò scit esse innocentem?

QUÆP. II. An Judex teneatur ad restitutionem heredibus Rei faciendam, si eum, postquam præter juris ordinem crimen extorsit, ad mortem condemnet?

QUÆR. III. An, & quando testis ratione falsi testimonii ad restitutionem teneatur; vel si citatus comparere, ac testari recuset?

126 AD I. Q. convenit inter ubi agitur de pœna mortis;  
DD. in causis criminalibus, teneri Judicem omnes vias,  
&